

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0696

0694

0700

0690

0705

0685

0745

0645

0795

0595

0195

Ende

Anfang

123

Joh. 19., quod discipulus ille notus erat pontifici. Juxta hanc domum stabat una muschea sarracenica aperta, et quia nullum Sarracenum vidimus, ingressi sumus in eam, sed nihil pulchrum, nihil devotum, nihil desiderabile ibi vidimus, sed tantum habitaculum vacuum, testudinatum, rotundum, per parietes dealbatum, et lampades de testudine dependentes, et pavimentum mattis coopertum, in quibus genuflexiones et incurvationes suas faciunt in orationibus eorum. Hoc viso regressi sumus. Porro loca jam dicta sunt prope templum Domini, quod Salomonis nominant.

Post hoc transivimus contra templum, et in vicino per ostium quoddam introspeximus, et in curia vidimus multos Saracenos stantes cum situlis, urceis et amphoris ad tollendum aquam, quae ibi copiose cum impetu de canali erumperet, de quo vehementer miratus fui, cum semper legerim et audiverim, civitatem sanctam carere aquis vivis. Sed postea experimento didici, quod aquae illae longe a civitate sancta emanant et per gurgites et canalia introducuntur in Jerusalem, de quibus suo loco dicam fol. 249 A. B. Ab illo loco ascendimus contra templum ad unum testudinatum vicum, per quem ad portam grandem, quae dicit in templi atrium, transivimus. Porro, (B) in ipso vicino erant multae pategae et valvae negotiatorum ab utraque parte, cumque viderent nos contra portam templi properantes, accurrerunt multi ad nos, ut nos ab ingressu templi arcerent. Diximus eis signis, quod non vellemus intrare, sed tantum ante portam adorare Deum, et ita permiserrunt nos ad portam accedere, et ibi flexis genibus contra templum Domini oravimus, respicientes in atrium et templum, quod tamen ipsis Saracenis erat molestum, et clamabant contra nos. Ipsa vero atrii porta erat magna cum gravissimis ferreis vectibus. Dicunt autem, hanc esse portam ferream illam, de qua habetur Actuum XII., per quam eduxit angelus Petrum, et per vicum, quia carcer Petri erat ab intra. Deinde per vicum reversi sumus, et gyrantes ad alium testudinatum vicum venimus, per quem etiam introitus est ad templum, in quo similiter negotiatores sedebarunt in pategis. Ingressi autem usque ad templi portam accessimus, nec clamores nec murmura Saracenorum advertimus, nec prohibitionem Calini,

